

DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA  
IN AUGURALIS,

D E

35

# AUDITU;

Q U A M,  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNI S MUNNIKS,  
M. D. Medicinæ, Anatomes & Botanices Pro-  
fessoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examini subjicit.*

P. DEMEHERENC DE LA CONSEILLERE, Hamb.

*Ad diem 8. SEPTEMB. loco horisque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Aca-  
demiæ Typographi, cIc Ic cxx.

*Illustrissimo, Consultissimo, Nobilitate non minus  
quam Doctrina Clarissimo*

V I R O

L. D E M E H E R E N C

D O M I N O

D E L A

CONSEILLERE, J. U. D.

*Causarum in suprema Nor-  
manniae curia quondam Pa-  
trono Facundissimo, Expe-  
rientissimo, Patruo in æter-  
num venerando, obsequio &  
amore plusquam filiali prose-  
quendo.*

Hanc qualcumque Disputatio-  
nem Inauguralem,

D. D. D.

P. DEMEHERENC DE LA CONSEILLERE.



# DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# AUDITU.

## PROE M I U M.

**P**roines Disputationis solitos transgrederer, si Organum auditus omnium Animalium explicare susciperem: Animalium itaque intendo in solam aurem humanam & quidem eam, qualis in adulto reperitur, explicaturus. De differentiis, qua hujus inter & fetus aurem intercedunt tam accurate egit Celeberr. D. du Verney in erudito Tractatu de auditus organo, ut nihil in hac parte praestare possem, quam que dudum tradidit Praestantissimus hic anchor, verboenius transcribere. Ingenue tamen facio totas basce Theses ut plurimum descriptas esse ab Illustrissimo viro mox laudato, à Valsalva & Schelhamero, nec non aliis autoribus hanc materiam per transennam tractantibus, suoque loco designandis. Sententiarum delectum mibi tantum vindico, quem modeste propositum aquo animo accipias Lector, nonnullasque hinc inde sparsas conjecturas, quas derelinquere paratus sum, quam primum probabiliores aliquis ostendere dignatus fuerit. In quatuor Capita eas distinguere necesse existimavi: In I. Aurem describam. In II. Soni naturam & certa quedam ejus tradam attributa. In III. Usum indagabo singularum auris partium. In IV. denique pricipios ex morbis aurem sufficientibus delineabo, eorumque curationem pro viribus subiungere conabor.

A

C A-

2 DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA  
CAPUT PRIMUM.

Auris Descriptio.

I. *Auris* in *externam & internam* dividitur: Externa & minus compo-  
nita duas tantum partes notabiles complectitur, *Auricula* n-  
empe externe capiti appositam & *meatum auditorium*. Interna, ab  
exteriore separata per *Membranam Tympani*, plurima continet suo  
loco sigillatum recensenda.

II. *Auricula* vulgo auris dicta, oss Temporum adhæret & extra  
Caput in varias distincta Eminentias, Gyros & Foveas conspicitur.  
Prætermissa autem ejus divisione in superiore, quæ *Pinna*, & in-  
feriorum, quæ *Lobus* appellatur, notare sufficiat, exteriorem emi-  
nentiam *Helicem* (*Vesalio externum Auris Orbiculum*, qui in exiguum  
processum suprà principium meatus Auditorii desinit) interiorem *An-  
thelicem* nuncupari: His apposita & prope meatum Acousticum sibi  
invicem è regione collocatae eminentiae *Iragus* seu *Hircus* & *Anitragus* vocantur: Foveæ peculiaribus etiam nominibus gaudent; quæ  
inter *Helicem* & *Anthelicem* appetat, ea dicitur *Innominata* quæ in-  
ter principia *Anthelici Scapha*: Maxima vero in medio eminentia-  
rum posita *Concha*. In iis vero nominibus sæpe ludunt Autores, ea-  
dem non semper usurpantes.

III. *Auricula* cartilaginosæ est substantiæ, quæ in superiore dura  
magis quam in inferiore: Vestitur *Cute* cum instrata cuticula plurimis  
pertusa foraminulis, in quæ *Ductus excretorii Glandularum* ab Illu-  
stri Valsalva detectarum hiant. Observavit solerissimus ille Anatomi-  
cus expressis glandulis materiam sub forma vermiculorum erum-  
pere, quæ naturaliter exiens in furfuraceas distincta particulas colligi-  
tur. Unde recte suspicatur in capite & quibusdam aliis corporis re-  
gionibus similes dispersas glandulas.

IV. Post cutem & glandulas sequitur tenuis *membrana adiposa* in  
*lobo* magis conspicua & sub ea *Integumentum nervosum* totam cartila-  
ginem investiens, quod solus descripsit Ingeniosissimus Du Verney.

V. Præterea *musculis*, *arteriis*, *venis* & *nervis*, prædicta est auri-  
cula. In *muscularum* numero determinando multum discrepant Auto-  
res, Caslerius primus quatuor recensuit, Du Verney duorum tan-  
tum meminit. Valsalva vero septem distinctos musculos describit,  
quos dividit in *externos & internos*. *Externi* quinque sunt, unus supe-  
rior

rior & tres posteriores à Casserio jamdudum inventi, quibus unum Anteriorē addit, binosque Internos, Tragi nempe & Antitragi: Descriptionem eorum, quantum potuit, accuratam modo laudatus habet Valsalva, quam hic transferre inutile foret. Hæ sententiarum discrepantiae naturali corporum diversitati adscribendæ sunt: Variant enim hi musculi numero non tantum in diversis, verum etiam in eodem subiecto; variant quoque modo incidendi. Celeberr. Schelhamerus Auriculam in plerisque subiectis humanis immobilem videns, neque ad audiendum motu ullo indigere, musculos omnino pernegavit, nec veritus est omnes, quotquot sunt, Autores erroris arguere, quod membranam musculosam cuti substratam pro musculis, tendinosam vero vel fibrosam pro ligamento acceperint. Sed accurata demonstratione Excellentiss. Leusdeni Praeceptoris mei in æternum venerandi revera esse musculos edoctus fui, & in sequentibus usum eos aliquem præstare ostendemus. Illis & sibi propriis membranaceis nexibus ossi Temporum unita est *Auricula*.

VI. Arteria Carotidis externus ramus ad Auriculam & meatum Auditorium plurimos mittit ramulos Venis ad Jugularem externam tendentibus comitatos. Præter has Venas, aliam novissime in postica Auriculæ parte detexit Valsalva ad occiput ascendentem & intra Cranium per peculiare à se repertum Foramen ingredientem, quam idcirco occipitalem vocat.

VII. Nervos ab auditorii nervorum Paris Portione dura, nec non à ramo inter primam & secundam colli vertebram prodeunte accipiunt.

VIII. Tandem Vasis Lymphaticis totam Auriculam & meatum Auditorium scatere vero est simillimum, cum jam ante viginti annos indefessi Laboris Anatomicus Ant. Nuckius (a) pone aures quedam detexerit.

IX. Concha dicit in meatum auditorium, qui partim cartilagineus partim osseus est. A parte enim externa componitur ex continua auricula, à parte vero interna ex continuato osse Temporum: quam meatus auditorii partem osseam ab osse temporum distinctum & separatum os esse contendit Schelhamerus, quod in Sceletis à me visis animadvertere haud licuit. Pars cartilaginosa variis à D. du Vernay primum observatis interrupta est incisuris, quæ se invicem ad angulum acutum sæpe secant. Totus meatus interna cuto ab Auri-

A 2 cula

(a) *V. Adenographiam p. m. 141.*

cula continuata induitur, quæ ad medium cum pervenerit, membra-  
na tensa ac humore quodam temper madida evadit.

X. Principium meatus pilis innumerisque pervium est foraminulis,  
cerumen in substratis glandulis secretum eructantibus: Membranæ a-  
diposæ ab Auricula continuatæ inferuntur hæ glandulæ, humorem  
flavum, amarum & viscidum secernentes, de quo in capite tertio a-  
getur: *Vasa*, ut jam superius dictum, cum auricula habet commu-  
nia. Formæ meatus non inhærebimus, quippe quæ sine figuris clare  
demonstrari nequit; propter usum solummodo animadvertendum est,  
eius cavitatem non esse rectam sed in initio parum ascendentem & in  
medio curvatam, ita ut Cylindro Ellyptico serpentino incesu proce-  
denti similis sit.

XI. Auris exterior ab iuteriore separatur membrana quadam pellu-  
cida & tenuissima, quæ *meninx* seu *membrana tympani* dicitur; Dupli-  
cem eam esse & infinitis vasculis sanguineis refertam certior factus  
sum visis summa cum admiratione Anatomici hujus sæculi longe cla-  
rissimi Frid. Ruyschii subtilissimis præparatis. Rivenus putat illam  
foramine, quod setam equinam admittit, pertusam esse, mihi vero  
sedulo quærenti non patuit, nec mirum, cum aciem Experientissimi  
Viri Albini, Academiae Lugduno Batavæ Professoris meritissimi,  
Præceptoris plurimum venerandi fugerit. Experimenta vero Valsal-  
væ hanc litem omnino dirimere nequeunt.

XII. Hæc membranula figura ad Ellypticam seu ovalem acce-  
dantis *circulo* quodam *osse* oblique disposito circumscripta est, & in  
medio versus interiora à mallei manubrio coni latissimi instar retrahi-  
tur. Per ejus medium *chorda* decurrit, quæ Eustachio nervus, Ves-  
lingio ligamentum, aliis tendo creditur; revera autem *nervulus* est  
*paris quinta conjugationis*, qui cum *dura portione* unitur. *Annulus of-*  
*fens* incisura quadam per totum suum circulum interne insignitus est,  
cui rimæ includitur membrana tympani. Hac membrana inserta an-  
nulus osseus in duos quasi circulos dividitur, quorum exterior non pla-  
ne absolvitur, sed in parte superiore minutissima quædam pars deest  
quod scite observavit post Cl. du Verney D. Le Clerc. (a) ita ut  
hoc loco membrana inter illos duos circulos non sit constricta, sed  
interiori tantum agglutinata. Inde jure suspicatur Vir doctus, membra-  
nam ibi ab osse dehiscentem transitum dare fumo Tabaci per *tubam*  
*Eustachianam* in aurem adacto.

### XIII. Sub-

(a) *Osteologie. p. m. 66.*

XIII. Sublata membrana *auris interior* patet, in qua duæ cavitates observantur: Prima, Antiquis *concha*, Recentioribus *tympani cava*ta, ina qualis est & membrana humore quodam aqueo madida infinitisque capillaribus vaſculis referta circumducitur, quam membranam *duram esse matrem* elongatam existimo. In ea cavitate consideranda veniunt I. *Canales*. II. *Foramina seu Feneſtra*. III. *Officula*. IV. *Musculi*. V. *Vasa omnis generis*, quæ singula, quam maxime potero, breviter describam.

XIV. *Canales bini* sunt; primus, qui ab Inventore Eustachio *Tuba Eustachiana* vocatur, osleus, membranaceus, cartilagineus est atque carneus, & eadem membrana ac meatus auditorius obductus; a tympani cavitate ſupra palati extrema per Proceſſus Pterygoideſ ad uvulum uisque decurrit: Prope uvulam autem ē direc̄to narium cartilago ſat magna & concava conſpicit, quæ aërem impingentem partim versus Epiglottidem reſticit, partim aurem ingredi cogit. Secundus *aqueductus Fallopianus* dictus in ſuperna parte cavitatis tympani conſpicit, inque Apophyſeos Maſtoideæ ſinuositates penetrat: Iſte canalis latiſſimus & breviſſimus cum ſit, à Valsalva non creditur mereri ut diſtinguitur à Tympani cavitate, quippe quæ ab illo tantum amplior fit; in figuris tamen notatur nomine *canalis particularis*, & in aliis locis *Aqueductus Fallopianus* vocatur (de quo inf. §. 22.)

XV. *Foramina seu Feneſtra* etiam duæ ſunt, prima *Ovalis* membranæ tympani parallela, qua ad *Labyrinthi uestibulum* aditus pateret, niſi Baſi ſtapeedis exacte clauderetur: Secunda *rotunda* vocitatur, quæ in Cochlearum ducit ſed membrana quadam etiam obturatur. Præter ambo illa foramina ſæpius jam laudatus Valsalva alia detexit versus ſuperiora ſinuositatis Maſtoideæ, per quæ variis innixus experimentis conjicit ſanguinem aut ichorem in caſibus præternaturalibus ex cavitate cranii ad auris cavitatem tranſmeare.

XVI. *Officula* quatuor ſunt: I. *malleus* dictum, membranæ tympani adhæret, cuius centrum, ut ſuperius (§. 12.) annotatum, introtrahit: Tribus componitur proceſſibus ſecundum Valsalvam, uno, quem *majorem* nominat, membranæ colligato: altero *minore*, ē principio *majoris exſurgente*, & tertio *minimo* ad hujus latus poſito: Quem vero Valsalva *minimum* vocat majorem eſſe *minorī* nōper oſtendit D. Ravius quod Bartholino jamdudum innotuiſſe videtur. II. *Ineus dentem molarem* referens & malleo per gynglimum & peculiarium li-

gamentorum ope inarticulatum componitur ex duabus Apophysibus & ex corpore duas cavitas & unam protuberantiam habente. III. & minimum *Orbiculare* dictum, et si potius Ovale sit, *Ineus* inter & *Stapedem* positum, sed *Incidi* maxime adhæret à qua parte concavum, à parte vero qua *Stapedem* respicit convexum est. IV. & ordine ultimum ossiculum *Stapes* à figura, quam exacte refert, appellatum, superna parte seu capitulo cum osse orbiculari articulatur, basi vero sua ad *Ellypticam* figuram accedente foramen ovale, (de quo superius §. 15.) claudit. Hæc ossa omnia periostio carere autores una voce pronuntiarunt, donec novissime Indefessus *Ruyschius* in *Responsione ad Epistolam Problematicam Job. Henr. Graiz* contrarium edocuerit, & mihi propriis lustrare oculis libentissime concessit.

XVII. Ad ~~osse~~ mūculos describendos progredimur: *Malleus* tribus instructus est, qui singulis ipsius processibus adhærent. *Stapes* unum peculiarem habet versus capitulum ejus tendentein. His Valsalva novum *Tuba Eustachiana* inservientem addit, cuius descriptio apud ipsum autorem legi meretur.

XVIII. Restant in hac cavitate *Vasa* examinanda; *Arteria*, quas recipit, sunt ramuli *arteria carotidis*: *Vene* ejus ad *Jugularem* transuent: *Portio dura paris nervorum auditorii* surculos in ea distribuit: Nec *vasis Lymphaticis* eam carere ex supra dictis. (§. 8.) conjecturæ locus est.

XIX. Pervenimus jam ad intimam auris cavitatem, *Labyrinthum* dictam, cuius contenta dividemus in quatuor præcipuas partes: I. est *Vestibulum*: II. *Canales* sunt *semicirculares*: III. *Cochlea*: IV. deinde *Vasa* omnis generis.

XX. *Vestibulum* in osse Petroso excavatum, pone *Fenestram Ovalis* situm & membrana valvis referta indutum est. Foramina in ipso novem tantum observavit D. du Verney, duodecim vero Valsalva enumerat, orificium nempe *Fenestra Ovalis*, canalis semicircularium Orificio quinque, cochlea Orificium, & quinque foramina nervis aditum præbentia. In hoc enim à Valsalva recedit Cl. Du Verney, quod nervis duo tantum attribuat foramina.

XXI. *Canales semicirculares* numero tres partem superiorem *camera vestibuli* quasi cingunt. I. Superior vel minor *vestibulo* egreditur, paullum in semet ipsum inflexus sursum tendit, & postquam ultra diuidum circulum descripsit, ab altera sui parte *canalis inferiori* jungitur. II. Inferior vel major è *vestibuli* parte inferna exit, spatioque pau-

lo

lo majori quam dimidii circuli decurso, partem ejus inferiorem circumdat & superiori canali jungitur: Illi autem canales bini simul copulati unum tantum efformant, qui in medio vestibulis tene aperit. *Hic Medius* sive *minimus* inter duos praecedentes situs nullam cum his communicationem habet, nec ultra semicirculum describit. Ex hisce quinque foraminibus enim *minimus* duo sibi vindicat, ceterorum autem canalium uterque unum proprium & unum commune foramen habet.

**XXII.** *Cochlea* sic dicta quod Limacis cochleas figuram repræsentet, constat canali semiovali spirali & lamina lineæ spiralis elevatae instar contorta. Canalis ille in duos alios mediante lamina spinali distinguitur, quorum unus *superior* cum tympani cavitate per foramen rotundum (de quo §. 15.), alter *inferior* ad latus fenestræ Ovalis (de qua etiam §. 15.) finum communicat, ita ut bini hi canales nullum habeant inter se commercium. Quem vero *superiorem* nomino, *inferior* vulgo dicitur, naturali situ vero recte perpenso *inferior* dici meretur superior, ut recte annotavit Valsalva. Canales seu scalæ illæ in eo differunt, quod *superior* alteram amplitudine ut plurimum supereret. Porro *inferior* cavitatem ellypticam & lævem superficiem internam obtinet; *superioris* vero cavitas irregularis, aspera & inæqualis existit. Lamina ipsa *canalis spiralis* superficie ope membranæ tenuissimæ firmiter applicata substantiæ duræ & friabilis est, basis ejus laxioris substantiæ multis foraminulis obliquis pervicere appetat, apex autem tenuior & magis compactus videtur.

**XXIII.** Reliquum est, ut *vasa* quibus intima auris cavitas instructa est enumeremus: *Arteria Carotis interna* ramum mittit, qui juxta Præstantissimum D. Du Verney per singulare foramen os petrolum ingreditur, à quo multi surculi demissi canales cochlea subeunt, & intra *vestibulum* (§. 20.) per plures Anastomoses conjuguntur, quod vero observare mihi non licuit. *Vena* eodem modo distribuuntur & ad *venam jugulariem internam* tendunt. *Nervos* ex portione molli paris nervorum auditorii, quæ pars angustior est, recipit per canalem quendam in osse temporali & petrolo excavatum, qui ab Inventore Fallopio *Aqueductus* (de quo iam §. 14.) ut & mihi cum Valsalva dicitur: Interim monitum volo Lectorem ne cum tuba Eustachiana, quæ ab Illustr. du Verney etiam *Aqueductus* nominatur, hunc confundat. Canalis iste in duos dividi potest, *communem* scilicet & *particularem*; Ille particulari latior duas por-

portiones nervorum admittit ; hic vero *communi* longior duram tantummodo portionem recipit. Portio autem mollis in duos ramos prope canalis communis finem separatur ; horum unus *cochleam* per sinuositatem centro ejus insculptam ingreditur, alter in quinque surculos dispersus, *vestibulo* & *canalibus semicircularibus* sese insinuat per quinque foramina supra *Orificium scala* seu *Canalis inferioris*. (de quibus §. 20) Hi ramuli nervei *vestibulum* ingressi in membranam quasi dilatantur, sine dubio ut motibus tonoris excipiendis & ad sensuum commune deferendis aptiores fierent, unde ab Exercitatissimo Valsalva jure merito *Zona sonora* nominatae fuerunt, sed de his in sequentibus. Altera pars *portionis mollis nervorum* etiam membranacea evadit & totam *cochleam* invicit, unde *Zona cochlea* à supra laudato Autore nuncupatur, quæ continuationem an habeat cum membrana *vestibuli* nondum compertum est. *Vasa lymphatica* illis addi possunt, nonnulla enim ex cerebro in *Labyrinthum* una cum *nervis delabi* cernuntur, quæ etsi oculis in *cochlea* & *canalibus* persequi nequeamus, hic loci desinere credendum non est.

XXIV. Humore quodam aquo sat copioso *Labyrinthum* factum primus observavit saepius jam laudatus Valsalva, fontes vero è quibus excernitur, non ostendit : Si mihi autem locus daretur conjecturæ, illum humorem non crederem à membranis derivari, sed sub iis quasdam miræ exilitatis glandulas latere, quæ forte aliquando Lynceis ipsius Oculis vel aliorum industria detegentur.

## C A P U T II.

### *De Sono.*

I. Ut Soni naturam eo accuratius inquiram, præcipua ejus animadvertam attributa, indeque ab effectibus causam cognoscere conabor. Per *Sonum* autem omnis generis strepitum intelligo, neque immorabor in distinctionem illam ab *Ingeniosis*. Perraltio (a) usitatum qui *Sonum* pro specie, *strepitum* vero (Gall. *Bruit*) omnium sonorum genus agnoscit ; Quanquam enim non perperam distinctione illa imprimis *Gallice* adhibetur, & à Cartesio (b) jamdudum insinuata fuerit, revera tamen hoc loco foret disputatio de verbis.

II. Sonus generatur vel collisione duorum corporum solidorum,  
vel

(a) *Essays de Physique*: tom. 2. in *Praefas.* (b) *Epistol. Tom. 2. Ep. 105. p. m. 492.*

## INAUGURALIS.

vel concursu corporis solidi & fluidi: Nullum aliud invenitur medium; collisiones enim aëris ad aërem Sonum producere nequeunt, etsi Nob. & Ingeniosiss. Baco de Verulamio (*a*) id statuat de vocibus animalium, tonitribus aliisque strepitibus, qui si recte attendantur, revera sonos esse mixtos ex corpore nempe solidi & aëre apparet.

III. Sonus vehiculum alicujus densitatis, quale est aér, requirit, ut propagetur, quod inde cognoscitur, quia campana in aëre libero valde sonora ut & horologium in vacuo machinæ Pneumaticæ nullum fere sonum edunt, pulvisque pyrius in eodem vacuo per vitrum causticum accensus nullum fragorem excitat.

IV. Aér vento, zolipila vel aliis hujus speciei causis vehementer agitatus nullum producit effectum in Organum auditus.

V. E contra vero sonus aurem feriens alia corpora sibi occurrentia sensibiliter quidem non movere, quod patet ex candela accensa, quæ si magnæ campanæ pulsanti exponatur; flamma ejus nullo modo moveri videtur.

VI. Sonus aliis aëris motibus ipsi contrariis non impeditur, quemadmodum accidit in cæteris aëris commotionibus: Imo sonum non celerius cum vento secundo quam contrario progredi experimentis nixus persuasus erat Cartesius. (*b*)

VII. Unaquæque aeris commotio sonum referens, constat ex infinitis diversis agitationibus, quæ simul junctæ unicum producunt sonum, majorem vel minorem pro natura corporum circumstantium: Unde fit ut tympanum *tunsum* in medio vasti campi sonitum edat diversum, ac si prope murum audiretur, qui sonum illum variè reflectere valet. Hæ reflexiones vero cum sono primitivo confunduntur, ceduntque in ejus augmentum.

VIII. Radii autem sonorū, si incident in corpus sat dissipatum, eosque colligere & valide reflectere capax, aurem feriunt tum demum, cum sonus primitivus in eadem aure excitatus jam cessavit, ita ut novus à primo distinctus percipiatur: Et hæc Soni modificatio vel reiteratio *Echo* vulgo dicitur,

IX. Soni diversi eodem tempore in aëre excitati aurem sine confusione feriunt, fortiore debiliorem non impediente, & ab una parte prolato ab altera progredientem haud prohibente.

B

X. So.

(*a*) *Historia & Inquisitio de sono & auditu*: p. 115. (*b*) *Epist. tom. 2. Ep. III.*  
p. m. 529.

X. Sonus ad omnes partes quasi à centro ad circumferentiam propagatur, unde radii phonici vel toni luminaribus similes consti-tui possunt. Hanc veritatem egregie demonstrat Præstantiss. Philosophus P. Mallebranche. (a)

XI. Sonus vehementior à debiliore non velocitate differt, ut Cartesius (b) putavit, sed numero particularum agitatarum; quo plures enim sunt particulæ in prima collisione corporis sonori commotæ, eo sonus est intensior. Velocitas autem soni majoris vel minoris eadem est, ut certis Perraltii experimentis probatur in principio eruditij ejus tractatus de sono tomus 2. *Tenacium Phisicorum* constituentis: Et hac occasione semel & in perpetuum ingenuo profiteor debere me Celeberrimo illi Philosopho pleraque de tono dicta & dicenda, quippe qui luculentius & accuratius ac ullus aliis, quem noverim, autor, materiam istam tractaverit.

XII. Sonus ab initio ad finem pari celeritate fertur, quamvis de viribus remittat, ita ut pro ratione interjecti spatii propagetur: Si enim Secundæ minuta intervallo 180. Orgyjas percurrat sonus, binis secundis 360. absolvet & sic deinceps proportione arithmeticâ, quod in Regio Observatorio Parisiensi, ac Helmstadii ab Illustrissimis Viris Schelhamero (c) & Heiglio pendulorum ope compertum fuit.

XIII. Hæcce peculiaria soni attributa conjecturis & ratiociniis physicis adjuncta induxerunt me, ut cum Dodarto (d) crederem motum illum non posse aëri communicari, nisi velocissimis vibrationibus particularum corporis sonori elasticitate prædictarum.

XIV. In omnibus enim corporibus tria partium genera distinguenda existunt: I. genus est minutissimorum corpusculorum, quorum nonnulla simul juncta II. genus constituunt, videlicet particulas (§. 11.) non tantæ quidem exiguitatis sed tamen insensibiles & maximo elatere donatas, adeo ut minimæ impulsioni cedant, nec sine crebris vibrationibus primam quietem recuperent: III. genus à præcedentibus particulis conflatum particulas sensibiles constituit, quæ elasticitate quidem fruuntur, sed propter mollem tamen flexibiles sunt.

XV. Vibrations autem illæ (§. 11.) duas qualitates in aëre requiriunt,

(a) *V. Memoires de l' Acad. Royale des Sc. anno 1699. p. m. 41.* (b) *Epiſt. tom. 2. Ep. 105. p. m. 495.* (c) *Tractæ. de Auditu. p. 127.* (d) *V. Memoires de l' Acad. anno 1700. p. 308.*

## INAUGURALIS.

II

runt, ut per eum ad aurem propagentur, videlicet *spatii ipsius angustiam & velocitatem incredibilem*. Per *spatium* vero intelligendum id, per quod singulæ aëris particulæ moventur, simile illi quod percurserent exigui multi globuli in planum rectilineum dispositi: Horum enim primus commotus parvum spatum transgrederetur, ut alteri motus communicaretur & sic ad ultimum, qui etiam citissime motum eundem perciperet: Et cum secundum suppositionem *velocissimus* sit iste *motus*, globuli illi à via divertere nequeunt, quemadmodum alias facillime fieri posset.

XVI. Omnia prædicta Phænomena juxta hanc Hypothesin explicare nimis prolixum foret, ideo ad sæpe laudatum Perraltum Lectorem remittere cogor.

## C A P U T III.

*De Singularum Auris partium usu.*

I. Reviter itaque quantum licuit auris Descriptione & certis præcipuisque soni attributis explicatis, actio ejus in ipsum organum consideranda venit. Ordo, quem sequar, non diversus erit ab illo in capite primo observato.

II. Statim sese offert *Auricula* cuius utilitas pro radiis sonoris excipiendis & ad meatum reflectendis inde liquet, quod qui ea carent volam manus aut aliud instrumentum adhibere debeant, ut perfectius audiant. Substantia ejus cartilaginea, lœvis & polita efficit, ut sonus de motu suo minus deperdeat.

III. *Musculorum* circa auriculam observatorum usus obscurus valde est. Conjiciendum autem consistere eum in contrahenda & dilatanda concha insensibiliter pro vi aut lenitate soni, unde motus tonicus imminuat aut augeatur. Forte etiam manifestus appareret, nisi diuturno fasciarum usu, quibus infantium aures fortiter capiti alligantur, motus ille perderetur aut saltem obscurus evaderet, ut non inconcinne cogitavit Willius (a). In quibusdam vero subjectis possunt musculi illi ita validi existere, ut non obstantibus dictis impedimentis motus conspicuus temper remaneat, qualia exempla plura referunt Autores.

IV. Meatus auditoris forma, materia, incisura motus sonoros quantum

B 2

(a) *Tractat. de anima Brus.*, p. m. 131.

tum augere valcant; legibus Mathematicis demonstrari posset, nisi jam ab aliis maxime ab Illustrissimo Schelhamero indicatum fuisset. *Forma* ejus Cylindro Ellyptico similis radios collectos ad membranam reflectit, in cuius (cap. 1. § 12.) *conum latissimum referentis* summitate instar foci radiorum collectio fiet. *Materia* ejus ossea ad soni propagationem multum etiam consert, notum enim est sonum incidentem in Objectum molle & porosum non reflecti nec transire, sed absorberi & emori. Nec *Incisura*, quæ in toto canalis tractu observantur, inutiles sunt, quemadmodum tuba Polyphonica ab Hyemyniano Rondello Matheos Professore Bononiensi similibus cum intercapedinibus instructa probatur, narrante Fidelisi Valtalva Cap. 4. §. 5.

V. *Cerumen*, quo meatus oblinitur, corporibus extraneis maxime animculis ingressum in meatum prohibet: Soni quoque vcheniem imprimis noctu reprimere potest, judicante Cl. Taurvy (a). Nima vero ejus quantitas quomodo nocere queat capite sequenti ostendetur.

VI. *Nervi*, quibus innumeris tota auris exterior ornata est, partes istas admodum sensibiles reddunt, adeo ut à corpore extraneo tangi nequeant, quin statim periculum intelligamus: *Cætera Vasa* eundem usum præstant ac in aliis corporis regionibus.

VII. *Membrana tympani* minus necessaria videtur, cum ex Willisi experimento omnibus noto appareat illa rupta sensum auditus non omnino perderi; attamen valde auditum exinde debilitari, sensimque perire idem probat: Ad collectionem enim radiorum & soni progressionem peculiariter sua conformatioe multum adjuvat: Relaxatur vero & intendantur pro sonorum ratione per musculos mallei, qui illam interne parum retrahit, (ut dictum cap. 1. §. 12.): Hinc cum sonum deabilem audire cupimus, membrana intendantur, aërisque impressionem ulterius progredi finit: Sono autem fortiori existente, eadem membrana relaxari potest, unde impetus concussionis infirmior reddeatur.

VIII. Itaque impressiones istæ à corporibus sonoris excitatae à membrana tympani propagantur ad *ossicula*, quæ plura numero ut existent necesse erat, nimurum ut *articulationum numerus totius compagis flexionem in plures partes dividens*, *cujusque partis flexio minor est*, (b) ideoque facilius perficeretur, sicque motus sonori per ossiculorum mechanicum motum ab auditorio meatu in *Labyrinthum* transferrentur.

(a) *Anatomie raisonnée*. p. m. 353. (b) *V. Perraltii Lib. cist. p. 238.*

tur. Non enim cum Paulo Manfredo (*a*) credendum ossicula tantummodo ad fulcimentum membranæ tympani constructa esse.

**IX.** Inutile foret singuli ossiculi mechanicum officium examinare, cum nihil addi possit sedulæ inquisitioni saepius jam laudatorum Authorum imprimis Valsalvæ, qui probe ostendit *Malleum & Incudem* vecti primi generis similes esse, adeoque vim unius vectis alteri statim applicari: Unde concussions ipsis communicatae eodem momento ad *stapedem* pervenient: Ad hosce motus recte determinandos valde utilis foret auris artificialis, quam promiserat Industriosus Artifex Venetus Joh. Bapt. Verle (*b*), nec non ipse Valsalva, promissis vero an steterint non percepit.

**X.** Neque *musculis officiorum* inhærebo, notum enim est ex iis, quæ de membrana (§. 8.) superius dicta, eorum ope & mediantibus ossiculis membranam relaxari & distendi posse: An vero motus illorum, ut & musculi *Tubæ Eustachianæ*, sit voluntarius vel absque ullo prævio voluntatis actu motus illorum determinandi capace, perpendere hic locus esset, sed accurata talis disquisitio nimiam prolixitatem requireret: Credo tamen cum Celeberr. Vieusiens (*c*), (ad quem remitto Lectorem) & aliis eum esse partim involuntarium, partim voluntarium maxime quando mens nostra jam intensa sonum quasi expectat.

**XI.** Ab ordine parumper & quidem consulto confusione vitandæ gratia diversus, ad canales & foramina redeo: *Tuba Eustachiana* necessitas ex eo patet, quod si casu præternaturali claudatur, illico auditus deperdatur, unde à provida natura humore quodam illinita est, ne latera collabantur & conglutinentur: Munus autem ejus in eo consistere videtur, ut aër externus, sed per os vel nares transcundo temperatus, cum aëre in aure interna contento communicet, quod ipse Eustachius monuit, & quisque oscitando aliaque officia naturalia obeundo experiri potest: Porro humoris copiosius excreto exitum præbet, quo superabundante nimis relaxari possit tympani membrana: Hisce usibus Fabritius ab Aquapendente aliique Autores duos subjungunt, quod nempe præcaveatur per istum canalem, ne tympanum vehementissimo sono rumpatur, & hoc quidem non absque ratione affert, cum id accidere possit verosimile sit, imprimis si membrana valde sicca existat. Verum de altero, que in illi adscribunt, usū, non

B. 3. con-

(*a*) *Extant Observationes ejus in Mangeti Biblioib. Anatom. t. 2. p. 173.* (*b*) *De Oculo Humano artificiali p. m. 46.* (*c*) *V. Epistol. ejus ad Reg. Soc. Londin, de Organo auditus, in Transact. Philosopb. annis 1699. n. 258. p. 370.*

consentio, utpote credit sonum, vitiato meatu auditorio, posse per hunc canalem ad Auditus Organum transmitti, indeque fieri, ut surdastrī aperto ore melius audiant & sonus instrumenti sonantis dentibus apprehensi fortior sentiatur. Hujus autem Phænomeni causam potius referrem ad ossa, per quæ trabis instar motus sonori ad organum auditus usque transmittenrentur, idque probatur ex eo, quod si instrumentum aperto ori tantum adnoveatur nec immediate dentes tangat, sonus non audiatur vehementior. Quoad surdastrōs vero, qui aperito ore audire obseruantur, valde dubito (quarum omnes Autores id asseruerint) an distinctius inde sonum percipiāt, numne potius attentione eorum hoc tribuendum sit, sed, ut ut hoc sit, nihil obstat, quominus transmissionem soni ossibus attribuamus, cuni idem accidat quando capitis surdi summitati os loquentis admovetur, testibus Scotto & Comiers (a): Huc & respicit lex 10. lib. 16. Cod. tit. 22. qui testam. fac. poss. vel non. Atque Autori Anonymo (b), qui de sensibus scripsit, fides si adhibenda sit, tuba acustica capiti apposita à parte, qua radii sonori perpendiculariter incident, sonum fortiorem reddet, quam si meatui auditorio applicaretur tali modo, ut radii non directe incidenterent. Hoc autem canali clauso statim auditus perit, quia nempe tympani cavitas plena cum sit humore & aëre, quibus loco ad recendendum denegato, membrana motibus sonoris comprimi, sicque sonus ad nervos progredi nequit. De altero autem canali *Aqueductu Fallopii* dicto nihil aliud conjicio, nisi quod nervi, qui per eum transgreditur, custodiamento inserviat.

XII. Restant in hac media cavitate *foramina seu fenestrae* perlustrandæ. Per *Ovalēm* dictam propagantur motus sonori ad *vestibulum* mediante basi *stapedis*, quæ *fenestram hanc* (cap. I. §. 15.) exacte claudit. *Fenestra rotunda* vero per peculiarem membranam etiam clausa (cap. I. §. 15.) motum sonorum ad *scalām cochlea inferiorem* transfert.

XIII. De vasis idem repetendum ac de iis, quæ in aure externa reperiuntur, dictum est. (§. 6.)

XIV. Vidimus quo pacto concurrant omnes hucusque recensitæ partes ad transferendum sonum in intimam cavitatem, unde satis constat in ea regione præcipuum Organum seu tensorium auditus esse querendum: Persequamur ergo præcipuas ejus partes eodem ordine, quo descriptæ fuerunt; Primo occurrit *Vestibulum*, quod (§. 12.) *stapedis*

(a) *Traité de la Parole, des Langues & Ecritures*: p. m. 227. (b) *V. Suplement du Volume des Journaux de Médecine de l'an 1686*. p. 44.

pedis impressiones recipit, unde per omnia orificia *canalium semicircularium* & *cochlearum* ulterius transmitti queunt: Attamen propter rationes à Valtalva allatas ex natura soni & sitū orificiorum desumptas inducor, ut credam motus illos sonoros per *orificium commune* & *canalis medii seu minimi orificium alterum* (quod est angustius) maxime propagari.

XV. *Canalium semicircularium* figura ad transferendos motus sonoros multum conductit, quam maxime enim ad *Tubas Polyphonicas* accedunt: Cum vero portione molli paris nervorum auditorii interne tota vestiarur, ratio est dubitandi an omnes motus ad scalam Vestibuli transmittat: Potius cum Celeb. du Verney & Valsalva conjicerem debiliores motus hic terminari, ac proinde horum *Canalium surculos nerveos* nomen mereri *Zonarum Sonorarum*, partemque facere Sensorii auditus. Quantum vero ad ipsius soni distinctionem faciat numerus & latitudo eorum considerare angusti Disputationis limites prohibent.

XVI. Validiores autem motus sonori in *cochleam* transmittuntur, & quidem in duos ipsius canales à se invicem (cap. 1. §. 22.) distinctos, in *superiorem* seu *scalam tympani* per *foramen rotundum*; per *fenestram ovalem* vero in *inferiorem* seu *scalam vestibuli*, in quod *canales* hiant *semicirculares*: Hinc clare patet, sive *Scala tympani*. sola percussatur, sive *Scala vestibuli* sive utraque simul, *laminam spiralem* semper motibus sonoris commoveri. Unde si post tantos Viros conjecturas meas, quæ tamen ab illis non multum differunt, proponere ausim, credrem motus sonoros debiliores in *Zonas Canalium Semicircularium* terminari, & quidem minus debiles in omnes simul; inde si sat fortes existant per *Vestibulum* ad *cochlearum* alteram scalam, fortissimos vero ad ambas propagari: Hinc *Lamina spiralis* ab utraque parte commovebitur: & ex iis diversis motibus, animam diversos sonos cognoscere existimo. Videretur autem motus istos confundi debere, imo lamina spirali ab utraque parte commota, vibrationes ejus impediri: Verum perpendis soni natura & attributis (cap. 2. & præcipue §. 6. & 9.) statim evanescet hæc objectio: Hoc supposito plura Phænomena circa auditum explicari possunt, unum hocce exempli loco proponam, videlicet unde fiat, ut post vehementissimum strepitum, qualem edit bombarda bellica, sonus aliquod tempus post ictum adhuc continuari videatur, nempe lamina spirali fortiter percussa & quidem ab utraque parte vibrationes ejus longius durant: Quinimo possunt.

sunt motus illi tam vehementes existere, ut lamina exinde rupta auditus omnino pereat, quod exempla testantur. Figura autem cochlearum quæ similis est lineæ spirali elevatae attendi mereretur, nisi jam ab Autoribus id factum fuisset, addam tamen, eam maxime accedere ad *spiralement Parabolicam* (*Fermatianam seu vertico-centralem dictam*) cuius generatio & præcipuae proprietates ab Illustriss. Vari-gnon demonstratæ fuerunt. (a)

XVII. De nervis nihil habeo quod addam, cum expansionem eorum in canalibus (§. 15.) & cochlea (§. 16.) explicaverim: Raritas & subtilitas nervorum auditoriorum sine dubio inultum facit ad auditus acutiem: Sed peculiare est, quod testatur Anton. Menjotus (b), quandoque nervum istum ludente natura multiplicari, exemplum afferens Cardinalis Richelii, qui audiendi excellentia ad miraculum donatus, tergeminum utrinque gestare deprehensus est auditorium nervum. Eos vero ulterius usque ad sensorium commune persequi, non est nostri instituti, quin imo nimis arduum foret opus, nostrisque viribus impar.

(a) *V. Mem. de l' Acad. des Sc. 1704. p. m. 103.* (b) *Dissertat. Patholog. Part. 2. de Bombis aurum: p. m. 288.*

## C A P U T I V.

### *De Aurium Morbis.*

I. In præcipuis Incommodis, quæ aures intestare solent, recenten-dis non opus est, ut alium ordinem adhibeamus, ac illum, quem in præcedentibus usurpavimus; videlicet incipiendo ab Auricula, tota dein aure interna in statu præternaturali considerata, curationem probatiorem adjiciam: *Surditatem vero, gravem auditum & murmura* quippe quorum causæ in variis partibus latere possunt, pro coronide subiungam.

II. *Effluxus materia serosa ex glandulis Sebaceis tum post aures tum intra earum foveas & plicas laeditur in infantibus* (a) *præsestitum vel quantitatis immunita vel aucta respectu.* Quantitatis diminutæ causis non immorabitur; sufficiat monuisse inter externas plurimum posse frigus, & quidem lenteaminum frigidorum & humidorum (ut perperam solent mulierculæ adhibere) applicationem: Quoad prognosim

(a) *V. Aphor. 24. Sect. 3.*

gnosim; animadvertisendum hujus materiæ suppressionem, citius quam par eset, casu vel arte institutam plurimos Infantibus morbos (præsertim convulsivos quin imo Epilepsiam) inferre. Tota cura tum *præservatoria* tum *curatoria* in eo consistit, ut frigore amoto post aures & inter plicas linteola pura, sicca, eaque semel, bis de die auferendo, novaque substituendo apponamus: Quæ si non sufficient, topica aperientia, imo vesicatorium levissimum sed caute adhibeamus. *Effluxus major* vix attentionem meretur, cum raro curam desideret, nisi inde debiliorem fieri infantem animadvertisamus; quo in casu sufficit si linteamina humida applicentur. In utroque casu denique si acrior & falsior fuerit humor, quod ex dolore pungente, rubore & inflammatione leviori patebit, topicis acrimoniam temperantibus demulcendus venit, ut & remedii internis corrigendus, si causa in mastæ sanguinea lateat.

III. *Meatus Auditorius* similibus incommodis, nempe, ex copio-sius excreto cerumine ortis obnoxius est; verum cum inde graviora symptomata oriri possint, imo ipsius auditus deperditio, mature illis occurrentum est. Cerumen enim, ut notum est, constat particulis salinis, acribus, & lixiviosis, quæ ultra modum evenitæ membranam nervosam pungentes & erodentes dolores vehementissimos febrem acutam, insomnia, delirium, convulsiones, & lypothimiam excitare possunt: Corpora extranea meatum ingressa pariunt eadem symptomata, ut testantur observationes quamplurimæ; Notabilis est Obs. 4. Cent. 1. Fabricii Hildani, quem casum ingeniose explicavit saepius laudatus D. du Verney: Cura pro causis varia esse debet; si a cerumine oriatur malum, caute *Auriscalpium* eruatur; si enim nimis induratum sit, injectiones præmittantur emollientes, ut ex *Cerevisia recenti cum Butyro insulso, Hydromel. calid. vel latè fæmino* ut materia illa diluatur; si corpus durum extrahendum sit, oleum prius injiciatur, ut auris facilius dilatari possit: Hoc vero secundum Nuckium (b) certius aliquando agitur si oblatò sternutatorio caput concutiatur; meo autem judicio nimis periculosum est. Animalcula meatum ingressa variis modis eliciuntur, saepissime sufficit injicere liquorem aliquem, cui supernabat animal; aliqui auri immittunt spongiam stylo alligatam & therebinthina imbutam, quæ cum sit glutinosa, animal ipsi adhærens auferetur. Vermibus saepè etiam infestatur canalis iste, unde proveniant non hic locus est inquirendi;

## C

(b) *Experim. Chirurg. p. m. 52.*

quirendi; remedia sunt omnia vermes expellentia; & si vivi educi nequeant, tandem occidentia ut *ol. abfintb. fel. vaccin. succus caparum, Calaminth. Urina veteris cum melle; fumus amarorum cum antimonio* naribus & ore exceptus ab Experientis: Andry (c) laudatur. Sp. Vini egregius est fide Ephemeridum Eruditorum (d). Qui vero dimidium pomum excavatum auri applicare jubent absurdio innituntur principio. Si inflammatio adsit, vena secanda, clyster emolliens injiciendus, & in genere anodyna & refrigerantia interne atque externe exhibenda: Vesicatoria & Cucurbitulæ ab Antiquis (e) multum fuerunt laudata propter expertum inde successum: Ab opio in genere abstinentiam, monente jam dudum Avicenna, quod etiam Observationibus Zacuti Lusitani (f) & aliorum confirmatum est, nisi urgeat necessitas: Inter topica & locum habet balneario pedum ex aqua tepida.

IV. Dolor etiam gravissimus ex lympha a Cerebro in meatum auditorium transmissa produci potest. Curatio pro humoris natura instituenda ex gr. si lympha sit crassior, *olea culida* auri injecta profundit, cavendo tamen ne in unguentum incrassata meatum obstruant, maxime si materia sit viscida & pituitosa. In Intemperie calida injectiones (g) fiant ex succis *Hysopi, Melisse, Calamintha, & Majorana*, addendo *felis bovinæ seu ol. amygd. amar. Camomil. Cariophil. Anis. guttas quasdam &c.* Gossypium mulco imbutum meatui applicatum ab omnibus laudatur. In Intemperie frigida sequenti mixtura Gossypium maceratum meatui indatur. Ex sp. vin. Camphor. ʒjv. Sal. Armon. ol. succin. ʒʒ. ol. camphor. destil. Gr. xv. M. exactissime. Curatio generalis eadem est cum ea, quam (§. 3.) proposui, cui leves purgationes addi possunt: Attamen à sola acri vel serola materia orto dolori non convenit V. S. nisi adsit plethora, quia sanguine missa acria acriora fiunt.

V. De aurium doloribus quibusdam chronicis & periodicis meminunt Auctores, variis eos referentes causis, quarum nulla mihi satisfecit: Duos autem ante annos Hamburgi in Amico quodam similem aliquem dolorem observare mihi licuit: Infestabatur ille dolore gravissimo in aure sinistra, qui per quatuor hebdomadas singulis diebus tempore matutino rediens, non adjuvantibus omnis generis medicamentis,

(c) *Traité des Vers p. m. 147.* (d) *Journal des Servants anno 1677.* (e) *V. Hippocr. lib. 2. Epidem. sect. 6.* (f) *Praxis Medic. admiranda lib. 1. obs. 61, & 62. Et Histor. Medic. lib. I. Dubio 34, p. m. 425.* (g) *Du Féney p. 136.*

mentis, sensim per duas horas augebatur & deinde intra idem fere tempus imminuebatur: Hisce Symptomatis recte perpensis, sentio tales dolores à febre intermitente delitescente dependere & secundum methodum, qua Illustriss. Morton (b) hemicranias & optalmias, cæterosque quam plurimos morbos periodicos abegit, nempe, Cortice peruviano præcipue curandos esse. Sic & qui Dotissimum Celeb. Musgrave de Arthritide anomala tractatum perlegerit, minime dubitabit quin Arthritis, ut cæterarum corporis partium ita & Auris affectuum genium quandoque induat; cuius signum diagnosticum certissimum existit, si podagræ vel chiragræ paroxysmo subito evanescenti, vel sensim remittenti, vel solito tempore non exacerbanti supervenerint: Eorum vero cura in eo unice consistit, ut ab auris partibus materia arthritica rursus ad artus ejus sedem naturalem revocetur; quod quibus remediis, & quibuscum cautionibus fiat abunde tradidit laudatus Auctor.

XI. De Abscessibus & Ulceribus pauca sunt addenda, cum omnes Auctores prolixè de eis egerint. In Genere Abscessus maturandus & in tempore aperiendus: Ulcus vero, si sponte non sanescat, abstergendum, mundificandum, exsiccandum & tandem agglutinandum: Balsamus Peruvianus vel similis, ut est Balsamus viridis Metensis, in omnibus convenit, & sæpe totum opus absolvit notante Valsalva: Tinctura Myrrhae & aloës ex sp. vini à plerisque commendatur. Excrescens in auribus summos etiam dolores imo & ipsam surditatem quandoque pariunt, quæ absumentur mediis ex Chirurgia petendis.

VII. Membrana tympani relaxari vel nimium extendi, exulcerari, indurari & rumpi potest: Causæ satis notæ sunt. I. Relaxatio, quæ tempestatibus Autumnalibus & Ventis Austrinis augetur, ut recte annotavit Hippocrates (i), curam eandem requirit ac dolor pituitosus (§. 4.) II. Tensione nimia injectionibus & fomentis emollientibus imminuitur. III. Ulcerum tympani eadem curatio est quam aliorum (§. 6.): Ad deterionem eorum commendat Valsalva (l), ut clauso ore & naribus æger aerem intro comprimere frequenter conetur. IV. Induratio ejus seu ossificatio incurabilis habetur. V. Non idem de ruptione dicendum, cum corrofa membranæ pars naturaliter restitui possit ex observatione Valsalvæ (m).

## C 2

## VIII. Offi-

(b) *De proteriformi febris intermitentis genio.* (i) *Aphorism.* §. 5. &c. 17. sect. 3. (l) *Cap.* 5. pag. m. 84. (m) *Cap.* 5. p. m. 78.

VIII. *Officula auris nec non os petrosum* eam includens, cum in omnibus cum cæteris ossibus convenient; iisdem morbis obnoxia esse oportet; ac proinde eadem remedia, cautius tamen propter adjacentes partes, sunt adhibenda. *Caries*, quæ magis vulgata & periculosa existit, curatur secundum optimam methodum D. Deymier (*n*) *Euphorbia pulv.* vel *Tinct. Euphorb.* cum *sp. vini* adjiciendo *myrrham* & *aloëm*: Usurpetur deinde *Aqua Imperialis* & *Emplastr. de Janua* addendo Gt. aliquas *Eßent. Baccar. Junip.* & *Caryophill.* atque *ol. Calithæ*. Medicamenta interna iudicio Medici pro Ægroti constitutio- ne derelinquauntur; Regulæ certiores legi possunt in libello Joh. Ch. Heyne de *morbis ossium*.

IX. Cum tube *Eustachiana* necessitas in præcedentibus demonstrata fuerit, attentionem non minus ac cæteræ auris partes meretur; obstrui potest deficiente humore illo, quo latera ejus illiniuntur, cui malo ut medeatur, medicamenta interna præcipue *aperientia* & *balsamtia* seligenda: *Fumum etiam tabaci ore attractum* & violentia quadam versus aurem aliquoties adactum juvare posse, ut canalis iste aperiatur, sola ratione innixus mihi persuadeo; Laudantur tamen à Celeb. Dekkers (*o*) *Apoplegmatizantia*, quorum vices tabaci fumus gerit. Si vero ex *Uvula inflammatione* vel polypo narium (Cap. 3. §.) occludatur, causa est auferenda.

X. Internæ cavitatis morbi in unum reduci possunt, non tantum propter partium ejus conjunctionem, qua fit, ut una affici nequeat, quin altera eodem contagio corripiatur: Sed etiam cum ob ipsius morbi cognitionis tum curationis difficultatem, topica enim nihil præstant: Ad sola interna medicamenta configendum, quorum successus valde dubius est & rarus propter delicatiorem & intricatam partium strukturam (cap. 1. S. 2. 3.)

XI. *Nervi* non alias ac cæteri omnes *obstructioni* & *compressioni* obnoxii sunt: *Prima* scrofitatibus ex cerebro profluentibus causari potest; *Compressio* plurimis ex causis oritur imprimis à *Sanguine* & aliis humoribus extravasatis, ut probatur ex plurimum Auctorum Observationibus (*p*). Cœteræ causæ nimium notæ sunt, ut iis inhæreamus. Utraque surditatem producit, de qua propter ordinem in sequentibus agetur.

XXII. *Surditatem ex innumeris causis* gigni facile conjicere licet;

(n) *V. Du Verney de l'organe de l'ouïe p. m. 185.* (o) *Exercit. Practic. p. 24. & 35.*  
(p) *V. Boneti sepulchretum Tom. I, Lib. I, sect. 19. p. m. 435.*

## INAUGURALIS.

xi

præcipuas tantum & magis vulgares recensebo: Primo accidit plerumque in Infantibus nuper natis reperiri *membranulam* quandam meatus principium obturantem, in quam motuum sonorum sistitur impetus; cognita causa, quæ oculis patet, facile curabitur malum; lanceola enim pertundatur hæc membranula & turunda immittatur ne latera rursus coalescant. Porro in meatu auditorio saepe cerumen incrassatur, & pellicula quædam sat crassa & mollis efformatur; qua totus meatus occluditur, & hanc surditatis speciem summo cum jure frequentissimam censem Celeb. du Verney & Valsalva: Curabilis est si præmissis injectionibus emollientibus (§. 13.) caute eximatur, saepe etiam sponte excidit ista materia, cujus exemplum extat in Nic. Blegny *Zodiaci Medici Gallici Anno tertio*.

XIII. Disrupta membrana Tympani sensim auditus sensationem perire probabile est; non me latet tamen observationes extare fidelissimorum Auctorum huic sententia aduersantes; In iis vero circumstantiæ desiderantur nonnullæ, ut de hujus membranæ necessitate dubitem: Ex omnibus, quas legi, observationibus nulla videtur mihi magis adversaria, quam quæ Greg. Horstio (q) communicata fuit de Venatore quodam auris abscessu laborante, quo aperto sine molestia auriscalpium ad digitum longitudinem hinc inde per auris cavitatem agitabatur, nec ullum dolorem vel etiam auditus difficultatem inde percipiebat Æger: Sed optasse, ut præcise determinasset, ad quantam profunditatem immergi posset auriscalpium, & quoquoversus; suspicor enim hominem illum meatu longiore præditum fuisse. Quoad curam conferenda superius (§. 7.) exhibita. Ulterius confirmatur tympani membranæ necessitas ex eo, quod sola ejus relaxatio surditatem inferre queat, ut probatur ex jucundo experimento Celeb. Medici Angli D. Holder (r), quod fusius hic narrare operæ pretium erit. Puer surdus natus in eo statu ad annos 10. vel 11. ætatem mansit, donec D. Holder suspicans causam non in nervo sed in tympano nimium scilicet relaxato latere, matrem ejus jussit ut medicos consulenter, qui possent fumi cuiusdam adstringentis ope relaxationem istam restituere: Strepitus vero quidam impetuofus casu hoc effecit, ille enim, venti instar vela navis inflantis, auris tympanum tensit, ita ut nomen adstantis cuiusdam pronuntiare valeret; & quamdiu strepitus ille durabat, audiebat,

C 3 eoque

(q) *Observat. Med. lib. 2. p. m. 345.* (r) *V. Transact. Philos. Soc. Reg. London. N. 35. p. 665.*

coque cessante statim à solita tympani relaxatione surdus denuo fiebat. Hujus experimenti vir nobilis (*at Devonshire*) certior factus à longo tempore surditate laborans D. de Holder confessus est se nunquam melius audire, quam cum in rheda seu curtu veleretur. Non dissimilia sunt exempla à Willisio (*s*) allata; alterum est de muliere quadam, quæ, licet surda fuerit, quoisque tamen intra concclave tympanum pulsaretur, verba audiebat, quare maritus ejus tympanistam pro servo domestico conducebatur; alterum de surdastro, qui ut vocem aliquam audire posset, plures campanæ simul resonare debebant.

XIV. *Officiorum defectus* etiam surditatem creare potest, imo solo incide deficiente nonnullos auditu caruisse observat Bonetus (*t*): Idem dicendum est de eorum carie, cuius cura jam præscripta est (*g. 8*). *Tuba Eustachiana clausa* surdi etiam evadimus, unde conjicio subitæ ejus apertioni tribuendos esse casus à variis Auctoriibus relatos de surdis à nativitate, qui viginti vel circiter annorum spatio in eo statu manentes, forte auditus sensationem percepereunt; notabilis est observatio quæ narratur in *Historia Soc. Reg. Paris.* (*v*), ut & ea quam habet Riverius (*x*); in utraque vero plures desunt circumstantiae, quominus recte explicari possint.

XV. Tandem partium intimæ cavitatis Inflammationes, Abscessus &c, auditus sensationem necessario extingunt, nisi medicamentis internis (*g. 9*), & imprimis concurrentibus ipsa natura & bona constitutione Ægroti, mature provideatur: In nefvis si lateat causa, sane curatio non minus anceps erit; cognoscitur autem eos non esse affectos egregio Schelhameri (*y*) consilio; videlicet, si surdus baculum dentibus admovens sonum percipiat, inde colligere licebit vitium in nervis non esse. Remedia surditatis varia adhiberi possunt, pro causa mali & ægri temperamento determinanda: In genere eadem sunt cum illis in singularum partium morbis allatis: Remedia quedam ab Auctoriibus pro specificis venditata adjiciam; Joh. Rud. Camerarius (*z*) valde deprædicat *Fraxini aquam* cum suo sale mixtam: *Grazum moschi in bombyce mixti* & auri immisum ejusdem Auctoris experientia probatum est:

Narrat

(*s*) *Tract. de anima Brutorum* cap. 14. p. m. 134. (*t*) *Anatom. Praæ. lib. I. sect. 19.* p. m. 436. (*v*) *Anno 1703. p. m. 22.* (*x*) *Observat. Commun. N. 2. p. m. 36. sub titulo Mutus.* (*y*) *Tract. de Auditu* p. 261. (*z*) *Sylloge memorabilium Medicina. Gr. Cent. 8. §. 81.*

Narrat præterea mulierem quandam oleo murino (mures enim recenter natos sine pilis macerabat in oleo) cum miraculo usum fuisse ad surditatem: Horstius vero aquam ex illis destillabat, eamque auribus instillabat summo cum successu. Olea thymica in genere prosunt, qualia sunt olea de spica, nuo: mose., fructul., succin., Cardamom., & similia, sed propter eorum vehementiam aliis admisceندā sunt temperatoribus: Therma maxime sulphureæ & bituminosæ cum lotionibus capitīs sæpe post plurimorum remediorum usum conducunt.

XVI. Surditatis occasione, mentio facienda artis & patientiæ misericordiæ Joh. Conr. Ammani Practici Amstelod. felicissimi, qui ab ipso natali surdos loqui, legere & scribere docet; methodum, quam adhibet, ad usum publicum ostendit in tractatulo inscripto *surdus loquens*. Tali etiam methodo quondam cum successu utebatur Mathematicus Anglus Celeber. Wallis (a) qui servum quemdam à natibus surdum ita instruxerat, ut, dummodo motum labiorum alloquentis perspicaret, verba omnia barbara licet & difficultia distincte repetere valeret. Unde vero fieri possit, ut vox & auditus uno casu simul pereant, quale exemplum effert Ingeniosiss. & Dexteriss. D. Littre (a) de Juvene 20. annorum, qui cervice à viro robusto, dum pugnis cum eo contenderet, fortiter constricta, statim surdus & mutus evasit omnibus incassum adhibitis remediis; talium, inquam, observationum rationes conjectu sunt difficiles, nisi ex communione nervorum autium & linguae, quemadmodum judicat Subtiliss. D. de Cordemoy (b), eliciantur.

XVII. Gravis auditus est surditas imperfetta, & sæpius in ipsam definit; unde eorum diagnoses & curationes gradū tantum differunt! Peculiaris vero cura quedam palliativa hauritur ex tubis acusticis, quæ sub variis formis ex diversa materia parantur; Nonnullarum talium delineatio videri potest apud laudatum Cl. Dekkers (c): In genere vero nihil aliud sunt quam tubæ polyphonicae inversæ, ita scilicet ut per orificium patulum ori loquentis oblatum voces transmittantur; angustior autem apertura admoveatur auri surdastris: An aliquis vero quedam curaverit incisuris donatas Rondellianis (cap. 3. §. 4.) similes parati, ad me non pervenit. Si vero murmure quodam simul affecta sit auris, nullius effectus erit Tuba acoustica.

### XVIII. Mur-

(a) Epistola ad D. Beverley de muris surdisque informandis: Extat inter Opera ejus Vol. 3. p. 696. (a) Histoire de l'Acad. R. des sciences. A. 1705. p. 67. (b) Discours de la Harole p. m. 90. (c) Exercitat. Pract. p. m. 98.

XVIII. *Murmur aurium* est depravatio auditus, qua excitatur præternaturalis & falsus motus, sonoros externos & veros impediens, & confusos reddens. Tres species vulgo numerantur *Bombus*, *Sibilus* & *Tinnitus*, quorum innumeræ causæ assignari possunt; Nostræ instituti est magis obvias & certiores tantum recentere: Causa generalis potest esse, ut optime judicat, Ingeniosiss. Hartloeker (*d*), sanguis per venas versus cor refluens, qui, cum per organum auditus transfluit, sonum talem excitare potest, imprimis quando hæ partes affectæ sunt, tunc enim fibrae nervosæ fortiter tensæ à minima impulsione concuti possunt. Celeberr. Vieußens (*e*) omnium horum murmurum causam in tympano latere existimat. I. *Bombus*, qui tonus est tumultuosus, gravis & quasi undatum aurem feriens, secundum ipsum consistit in vapore aquoso membranam tympani movente & varie flectente. II. *Sibilus* à *Bombo* in eo differt, quod sonus acutior sentiatur, & excitetur ab exhalationibus siccis & fluctuantibus. III. *Tinnitus* à denominatione optime explicatur; causa ejus ab Auctore nostro arteriolarum has partes irrigantium frequentioribus & validioribus succussibus refertur: Cæteræ causæ, quales sunt sonus vehementior, capitis percussio &c. nimis obviae sunt, ut iis detinear.

XIX. *Curatio murmurum* sedulæ innititur signorum diagnostico-rum inquisitioni, & prudentis Medici judicium postulat: Ad causam primariam, ægri temperamentum, ætatem, & vietas rationem præcipue respiciendum est; si orientur ab humoribus serosis & fluctuantibus *Apophlegmatismi*, & *Sternutatoria* felicem succesum promittunt; hæc vero oculorum debilitate laborantibus & Gravidis præ abortus meru non præscribi debent. In tinnitu a Lue Venerea inveterata genito commendatur, auctore Turq. de Mayerne, (*f*) *fumus caryophyllorum* per infundibulum in aurem receptus, unde futurum sit, ut multa aqua per nares effluat. *Balnea* in *Tinnitus*, imprimis *Therma Nitrose*, quales sunt *Aqua Spadana*, *Bourbonnenses* (*Vici* Calidi dictæ) quarum virtutes delcripsit D. Fouet (*g*). Earum laco domesticæ substitui possunt balneationes pedum in aqua tepida. Tandem in omnibus hisce incommodis justa diaeta observanda est.

[d] *Suite des Conjectures Physiques* p. 42. [e] *V. Epistol. ejus ad Reg. Societ. Londin. de organo auditus in Trans. Philosoph. N. 258. p. 370.* [f] *Præcessus mayerniana synstagm. alt. Tractata 4. de lue Venerea.* [g] *Le secrets des Bains & Eaux minérales de Vichy en Bourgogne* p. 18..

Co-



# Corollaria.

## De Aure.

I.

*Auditus organi singula partes in infantibus magnitudine parum, soliditate vero magis ab adultis differunt.*

II.

*Officula auris, non sicut ac cetera corporis ossa, periegestio & vasculis sanguinis pradita sunt.*

III.

*Per tubam Eustachianam motus sonori ad sensorium commune propagari non possunt.*

IV.

*Lamina spiralis praecipuum constituit Zonam sonoram.*

V.

*Sensationes visus & auditus maxime inter se convenient.*

## De Sono.

I.

*In omni sonorum genere, sive oriatur ex duorum corporum solidorum collisione, sive alterutrum corpus solidum tantum sit, particula corporis solidi semper confringuntur.*

II.

*Conformatio illa consistit in particularum flexione.*

III.

*Hoc particula flexa ad pristinum statum mira cum velocitate vi sua elasticis redunt.*

D

IV.

I V:

Aër tali velocitate percussus non potest ad latera effugere vel evadere.

V.

Particula aeris percussa velocitate eadem particulam sibi proximam ferit, has aliam vicinam eodem modo impellit, & sic deinceps.

V I.

Hec series impulsionum unicam componit, qua extenditur à corporibus collisis usque ad auditus organum.

V I I.

Organum ab ultima aëris particula percutitur eodem fere modo, ac prima per corporis solidi particulam impulsa fuit.

V I I I.

Impressionis instrumentum est aër commotus.

I X.

Commotiones istae propagantur, ut radii à centro, seu corpore sonoro, ad circumferentiam, seu corpora circumstantia.

X.

Radii hi, si incident oblique in corpus durum, reflectuntur ea lege, ut Angulus reflexionis equalis sit Angulo incidentia.

X I.

Ergo tuba acustica inservit ut in unum punctum colligantur multis radii sonori, & quidem eo plures, quo magis accedit ad figuram parabolicam. Si Demonstratio radiis sonoris non minus quam luminaribus applicabilis desideretur, consulatur Profundissimi Mathematici Car. Reyneau nuper editum eruditum opus, cui titulus Analyse demonstrée: Lib. 8. N. 417.

F I N I S.

*A mon cher & ingénieux Ami*

M O N S I E U R

D E L A

# C O N S E I L L E R E,



ui, je veux m'écartez de ces routes connues,  
Dont les fades Rimeurs aiment les avenus,  
Qu'un autre dans ses vers ennemi du bon sens,  
Te prodigue sans choix un insipide encens,  
Et parmi de grands mots rassemblez à la hâte  
Te place sans façon au dessus d'Hippocrate :  
Moi, qui fais peu louer, d'un lâche adulateur  
Je n'empruntay jamais le langage flatteur :  
La balance à la main je pese mon suffrage,  
J'en égale le poids aux beautes de l'ouvrage.  
C'est ainsi qu'attentif à tes doctes écrits  
En Juge rigoureux j'ai balancé le prix ;  
Ce n'eit point à mon cœur q'n'ils doivent mon estime,  
Elle eit de mon esprit le tribut legitime.  
Je me plaisir à te voir par d'utiles efforts  
Des loix de la Nature observer les accords,  
Et d'un oeil curieux penetrer le mystere  
D'un Corps qui de si loin sur d'autres corps opere.  
Dis nous, comment du choc peut s'enfanter le bruit,  
Comment de toutes parts à travers l'air conduit  
Il vient modifié se rendre à notre oreille,  
Et flatter, ou choquer notre ame , qu'il reveille ;  
Du sens qui le reçoit montre nous les ressorts,  
De ses divers contours les differens rapports,  
Et combien sagement la savante Nature  
De ce tout merveilleux arrange la structure.  
C'est là que des beaux airs les gracieux accens  
Apprêtent des plaisirs aussi vifs qu'innocens ;  
Et que l'esprit guidé par l'exacte Cadence ,  
Vient des tons assortis mesurer la distance.

D 2

Heu

Heureux qni peut ouir les sons bien ménagez  
Qu'un art ingenieux à savamment rangez,  
Qui rendus expressifs par leur juste assemblage,  
Tracent des passions une eloquente image!  
Puissé le juste Ciel sensible à mes desirs,  
Ne me priver jamais de si touchans plaisirs!  
Puissé jusqu'au trépas la surdité cruelle  
M'exempter des chagrin qu'elle entraîne avec elle!  
Et Toi dont les écrits dictez par la raison,  
De ce mal odieux offrent la guérison,  
Que pour d'autres ton art soit en cures fertile!  
Mais puissé ton secours jamais ne m'être utile!

A Mon

A M O N S I E U R  
D E L A  
C O N S E I L L E R E.



I faut laisser jaser Moliere,  
Contre la Faculté qu'il fasse le Demon,  
Cher ami de la Conseillere,  
Un bon Medecin est fort bon:  
Mais le Ciel, à ce que je pense,  
N'en a pas fort beni l'engeance:  
Tant mieux pour vous, de votre habileté  
Le charme de la nouveauté  
Doit à coup sûr relever le merite.  
Mais pourquoi par des mots seriés vous exalte?  
Je croy que vous me tenez quitte  
D'un vain encens que l'on debite  
Aux Savans, aux Lourdauts avec égalité.  
Voici pluslôt de la réalité:  
Je conviens que ma foy pour votre art est petite;  
Et que je tremblerois en confiant ma peau,  
A tout Docteur, même à Phœbus le beau;  
Si pourtant quelque mal me rend jamais visite,  
Je ne voudray trouver aucun remede bon  
Qui ne soit de votre façon:  
Je suis bien sûr que vous, cher de la Conseillere,  
Mieux que qui que ce soit me tirerez d'affaire,  
Par la mort ou la guerison:  
Et s'il arrive que j'en meure,  
Je vous en absous dès cette heure;  
De ce fâcheux malheur je croy  
Que nous n'en pourrons mais, votre art, ni vous, ni moy.

*Nobilissimo, atque Eruditissimo*  
V I R O J U V E N I ,  
P. D E M E H E R E N C  
D O M I N O  
D E L A  
C O N S E I L L E R E ,  
*Amico suo omni obsequio colendo, devinciendo*  
*S. P. D.*

F. L E B A C H E L L È Med. Stud.



um mihi gratam & jucundam, Amice dilectissime, tuas, dum prælo subjiciuntur, theses omni nomine insignes perlegendi potestatem lubito concessisti, occasio simul mihi hodie nata est de natura *murmurum* attente cogitandi; quæ vero in mentem inciderunt, conjecturas exigui licet momenti tibi communicandas censeo.

Omnis fere Physici naturam *murmurum* explicaturi sequentibus suas hypothæses adstruunt propositionibus.

I. *Prop.* Causa immediata *sibili*, *tinnitus*, *bomborum* uno verbo omnium *murmurum* in eo consistit, quod membrana tympani, vel altera ex partibus primariis in tympani cavitate sitis à quacunque deum cauia eodem modo commoveatur vel concutiat, ac si revera à collisione duorum corporum extra aurem sitorum oriretur impressio in membranam tympani.

II. *Prop.* Anima, quæ has sensationes percipit, in eo decipitur, quod sonum à causa quadam in cavitate vel prope cavitatem tympani latente excitatum adscribat collisioni duorum corporum extra aurem jacentium.

III. *Prop.* Anima judicio eam sensationem in eo corrigit, quod (illam licet propter afficiendi modum, quem habet communem cum murmuribus, quæ revera ex corporum externorum percutione exsurgunt, jure merito eidem causæ adscribere deberet) à nulla concutione eam judicet excitari.

Has propositiones licet ab omnibus receptas, in pluribus *murmuri-*  
*bus* locum sæpiissime nullum habere suspicor sequentibus adductus rationibus.

Quoad

Quoad I. in quantum autem mihi, quidquid in me ipso, dum arium sibilo forte labore, peragitur, atento animo consideranti observare licuit, affiebar sensatione plane tali, qualis revera in me excitasset duorum corporum collisio, quæ prope membranæ tympani superiorum partem contigisset.

II. Propositio eodem evertitur experimento, quatenus mens mea extenorū corporū collisionē sensationē, quam percipiebat, non adscribebat, sed (ut jam dixi) sibilus ille mihi videbatur oriri prope membranam tympani.

III. Denique, cum correctione non indigebat perceptio mea, locum non habet.

Ut plane itaque, quam amplector, de *murmuribus* fententiam tibi profitear, omnia murmura ad duo referunt genera. I. *Genus* consti-tuerem ex omnibus *murmuribus*, ad quæ excitanda nulla corporum collisio concurrit, cui generi in omni sua latitudine (ut in transitu dicam) convenient positiones generales supra enucleatæ. II. autem *Genus* mihi præberent omnia *murmura*, quæ collisione vera in ipso meatu auditorio contingente causantur. De I. Genere abunde dis-putarunt Physiologici. Circa II. quædam mihi occurruunt dicenda.

Præter ea, quæ superius dixi, semper obliteravi, quotiescumque sibilo laboraverim, me percepisse auram quandam calidam progre-dientem vel à meatu auditorio versus superiorum tympani membra-næ partem, vel è contra, id est, à superiori tympani membranæ parte ad meatum auditorium. Hisce positis adducor ut statuam quandam collisionem in meatu auditorio contingentem quandoque causam *murmurum* revera existere.

Quorum corporum, ubinam in meatu auditorio, & quomodo fiat collisio? inquirere restat: Sed hanc provinciam, quippe quæ Phy-sicum requirit Ingeniosissimum, suscipere vetat difficultas, tum & tem-poris angustia. Sufficiat itaque pro viribus quasdam hic addere con-jecturas circa *Sibilum* in specie.

I. Prop. *Sibilus* consistit in impulsione aëris violentiori & con-tinuata ex loco ampliori seu latiori in angustiorem seu strictiorem.

II. Prop. *Sibilus* erit acutior (1) quo aëris particularum motus erit violentior; (2) quo locus, ex quo aër expellitur, erit latior & amplior; (3) quo locus, in quem aër impellitur, erit strictior & lon-gior; (4) quo materia, ex qua locus, per quem adigitur aër, con-flatus fuerit, durior erit ut & compactior.

III. Prop. Ad *Sibulum* augendum plurimum etiam confert, si ca-nalis, per quem transgreditur aër impulsus, ab una parte fuerit ob-turatus

euratus [quod non modo à reflexione, sed & à particularum aeris motus collisione dependere mihi persuadeo.]

Hicce propositionibus, quæ mihi nulla videntur indigere probatio-  
ne, subjungam quæstiones sequentes.

I. *Questio.* Licetne his (quæ supra dixi) positis suspicari sibilum in  
eo consistere, quod aer adigatur continuo rivo cum requisita violen-  
tia, vel ex meatu auditorio, vel ex cavitate tympani, vel ex utro-  
que simul per tympani membranæ partem superiorem? ibi loci, ubi tym-  
pani membrana tantum ossico annuli lymbo interiori agglutinatur (a).

II. *Qu.* An membrana Tympani subito intus adacta (*ex. gr.* magno  
strepitu), aerem in tympani cavitate detentum comprimendo, sibi-  
hum producere valeat?

III. *Qu.* Numne aer à membrana tympani intus adacta condensatus  
& partim versus maltoideas sinuositates compulsus, sese rursus resti-  
tuens & reflexus sibilum causare valeat?

IV. *Qu.* An aer ex tympani cavitate per membranæ tympani foramen  
(liceat sic ejus dehiscentiam ab annulo ossile vocare) expulsus in parie-  
tes meatus auditorii incidat, & versus membranam tympani reflectatur?

V. *Qu.* Nonne hæc (si statuatur) reflexio sibilum augere valeat?

VI. *Qu.* Numne aer ex ore per Tubam Eustachianam adactus a  
quacunque demum causa, sibilum parere possit?

VII. *Qu.* An Tuba Eustachiana vel omnino vel ex parte obturata  
perpetuus vel frequens orietur sibilus? *Quo explicari possit (si cetera con-  
sentiant) quare sibilo obnoxii sint plures surdastris.*

VIII. *Qu.* Numne aëre in tympani cavitate contento a quacunque  
demum cauia rarefacto, aer externus per meatum auditorium, vel  
per Tubam Eustachianam, vel per utrumque simul impetuose tympani  
cavitatem ingrediens sibilum edet?

IX. *Qu.* Nonne materia quadam viscosa foramen tympani membra-  
næ angustante sibilus evadet fortior?

X. *Qu.* An hicce omnibus concurrentibus sibilus exorietur acutior?  
Quæcunque de *sibilo* dixi, omnibus *murmurum* speciebus convenire  
posse eo magis crederem, quo hæc ab illo tantum differre mihi vi-  
deantur aëris particularum motus violentia, continuazione, aëris con-  
stitutione humidiori vel sicciori.

Hec tandem, qualiacunque fuerint, festinanti mente & calamo,  
cum ja niam theses tuæ typis fuerint mandatae, excogitata & conscripta  
& quo animo accipias, Amice charissime; si quid ex iis in tuum emo-  
lumentum cedere possit, mihi sane plurimum gratulabor; si minus  
officio meo satisfecisse saltem crediderim. Vale. Ultraject. 6. Sept. 1710.

(a). *Vide Thesæos Caput 1. §. 12. in fine pag. 4.*